

[Faint, mostly illegible Latin text in Gothic script, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several columns.]

...effect iper
...de nos
...ad hoc
...no

...autem
...de hoc
...etiam ut
...Spe. in
...de prob.
...si verbi
...et per
...in


Kaba.

...si debitor
...recedere
...conter

[Large, faint handwritten or stamped marks, possibly a library or ownership stamp, located in the lower right quadrant of the page.]



U. q. 17, 8








1





Universitäts- und Landesbibliothek
Halle
(Saale)

ic p
diffe
pilla
e pu
c: z et

q
io
p
q
tercut

missus

cut
tio
e. s.

A.
u



D. D. 2
JUS VASALLI
IN
FEUDO,

SUB
MODERAMINE
VIRI
MAGNIFICI, NOBILISSIMI, AMPLISSIMI
CONSULTISSIMI, ET EXCELLEN-
TISSIMI

DN. ERASMI Ingepaur/
JCTI ET ANTECESSORIS PRÆCLARE
CELEBRIS, CONSILIARII SAXONICI EMI-
NENTISSIMI, FACULTATIS JURIDICÆ ORDI-
NARII MERITISSIMI, CURIÆ PROVINCIALIS AC SCA-
BINATUS ADSESSORIS PRIMARII, DN. PATRONI, PROMOTO-
RIS AC HOSPITIS OMNICULTUS MAGMENTO JUGITER
AFFICIUNDI,

IN AUDITORIO JCTORUM

DIE JULII

AD

VIVUM

EXPRESSUM

A

CONRADO FRIEDELIEB GRYPH.

JENÆ

Prælo NISIANO.

M DC LIII.

JUS VASSALLI

FENDO

JACOBI THEOPHILI WOHLEBENII

DM FR ASMIA (Wohleben)

TOLENTIENSIS...
GEBERTUS...
MAGISTRI...
RISAC...
ACTIO...

AS...
THE...

VIVIM...
EX...

CONRADO KRIEDLER CRYPH.

1785
1786



Lectori cum debitâ honoris præfatione salutem.

Si ab ipso mundi exordio, coq; post diluuium renascente ubiq; in-
tinctu naturæ, non Constitutione
aliquâ hominum, cõmunis omni-
um fuit possessio, una omnium li-
bertas, & acquisitio eorum, quæ cœlo, terrâ, ma-
riq; capiuntur, *Isidorus lib. 5. Origin. & ex eo Gra-
tianus dist. 1. §. Jus natural.* *Hugo de Roy, de eo, quod
justum est, lib. 1. tit. 5. n. 2. pag. m. 68.* imò quisque
hominum, verba sunt magni illius *Grotij de Jur.
bell. & pac. lib. 2. cap. 2. §. 2.* statim ad suos usus,
non quidem impulsu præcepti divini, aut natu-
ralis cujusdam, sed ex eo, quod nemini proprie-
tas rei speciatim fuit addicta, *Molina de J. & J. tr.
1. Disp. 4. n. 8. Job. de Dicastill. Disput. 1. Dubit. 12.
n. 132.* arripere potuit, quod voluit, & quæ con-
sumi potuerunt, consumere, adeò, siquidem ta-
lis usus universalis fuit Juris, ac vice proprietatis,
ut quod quisq; hunc in modum arripuit, id au-
ferri eidem ab altero non nisi per injuriam potu-

erit. Revocatis tamen hominibus sensim ad
comptiores sensus, & apparente ipsis ex dictami-
ne rectæ rationis, faciliorem rerum usum futu-
rum post res divisas, ex naturali ratione, non pa-
cto quodam, ad quod ceu fundamentum rerum
divisio referenda, ut docent *Hugo Grot. de jur. bell.*
& pac. cap. 2. §. 2. lib. 2. Selden. lib. 1. de domin. mar.
cap. 4. rerum inter homines cœpit esse divisio, &
post hanc plures ditiones, ac res quibusdam si-
bi acquirentibus, aliquibus verò rerum uberta-
te destitutis, temporum tractu jura prodierunt,
quæ alterius inopiam sublevant, Vasallorū quoq;
ab hisce temporibus ortum duxit Constitutio,
quâ opibus ditati cæteros, quos postmodum Va-
fallos vocarunt, ceu ope quâdam suffultum ive-
re, iisq; servato jure superiori, inferius aliquod in
rebus suis indulserunt. Quod cum hâc vice ar-
ctissimis quibusdam positionibus (fusiorem e-
nim evolutionem parare temporis ratio prohi-
bet) enodare, vel si veriùs dixerim adumbrare, a-
nimus ardet, Tuum, Lector benevole, sub cujus
alas arreperere aveo, favorem pariter & patrocini-
um, summâ humanitate exposco.

D. D.



D. D.
PRO
FACILIORI
JURIS VASALLI
IN
FEUDO
INTELLECTU

POSITIO I.



Feudo per investituram, vel eo ipso, quod pro investitura habetur, concessio, est ius Vasallus utile, ut vocant Dd., dominium, quod est potentia plenissime re utendi, fruendi, & pro arbitrio maxime tamen ab alio limitato de ea disponendi, seu usumfructum feudalem, si ipse Dominus Feudi, secus quippe obtinet, si non Dominus, utpote ex qua investitura usucapiendi tantummodo jus, seu praescribendi rem infeudatam in Vasallum transit, *Alvar. cap. 1. §. fin. n. 7. de contro. invest. Paris. lib. 1. consil. 23. n. 197. Jacob. de S. Georg. in tr. feud. verb. ita etiam quod ipsi investiti eum de re propria investierit, cap. 1. §. 1. & ibi Dd. de invest. de re alien. facta consequitur Schrad. tr. Feud. part. 5. cap. 6. Rosenthal de feud. cap. 8. Nobiliss. Dn. Struve Exerc. feud. 12. th. 1. Cujus ratione & ipsius utilis rei vindicationis adversus omnes, ne ipso quidem excepto Domino, eum compotem reddi tradunt Alvar. & Praepos. d. cap. 1. §. 1. de invest. de re alien. fact. Andr. de Ifernina pralud. feud. quest. 6. Henr. Zoes. comm. Digestorum lib. 40. t. de ac-*

A 3

quir.

quir. rer. Domin. n. 5. Bachov. ad vol. 1. Treutl. Diss. 16. thes. 11. lit.
D. vers. Unde rursus.

POSITIO II.

HUjus, de quo diximus, utilis domini intuitu, vera per inve-
stituram, quæ nihil aliud est, quàm possessio, *capit. 1. in pr.*
quid sit investit. Ubi *Andr. de Ifern. n. 2. Curt. Jun. de feud. part. 2.*
n. 15. Sonsbeck part. 9. n. 2. Mozz. de subst. feud. n. 34. In Vasallum
confertur possessio, *2. feud. 8. pr. & S. ult. verb. possessio per bene-*
ficiam ad eum pertineat 7. S. ult. 26. S. si facta, non tamen, quamvis
id superiori ævo suaviter somniarunt Juri plerique & adhuc
nonnulli superiorum fatuitate haud intacti cum Baldo somni-
ant, Juris, seu Civilis, quæ est detentio jure constans & animo
Domini, puta detentore credente, se Dominum esse, quod rem
detineat ex justâ causâ à Domino, *Heinr. Zæf. Comm. Noviss. ad*
ff. lib. 41. tit. de acquir. vel amitt. possess. n. 4. Siquidem hæc solius
Domini est proprietatis, *cap. 1. in fin. in quib. causis feud. amitt.*
2. feud. Ravennas. afflict. Ifern. Schenck. in cap. 1. S. Rei autem de in-
vest. de re alien. fact. nec in Vasallum descendere potest, refra-
gante ipsâ possessionis civilis naturâ, quæ animum sibi habendi
rem plenâ proprietate, qui tamen Vasallo deest, efflagitat, *Boer.*
de Jur. Domini & Vasalli lib. 2. cap. 1. n. 4. Nobiliss. Struve d. l. th.
2. Sed corporis tantum, quam naturalem vocant, quâ quis rem
tenet animo quidem sibi habendi, sed citrà jus affectionemque
dominii, *Heinr. Zæf. d. l. n. 5.* seu qua rem animo habendi jus in
istâ re, cujus dominium alteri elargimur, possidemus *l. fin. S. 1. ff.*
de precar. l. 22. S. 1. ff. de Noxal. action. l. 37. ff. de acquir. rer. do-
min. l. 35. l. 40. in f. ff. de pignor. action. id, quod in corporalibus
rebus pariter & incorporalibus in feudum datis obtinere in du-
bium, spretò, quod non ita proprium sit in iis dominium, cum
illud à naturali possessione ortum trahit secundum Nervam *in*
l. 1. S. si dominium ff. de acquir. vel amitt. possess. quæ rerum tan-
tummodò est corporalium, nec ad incorporales, nisi improprie,
l. 23. S. 2. ex quibus causis major. & c. porrigitur, l. 10 S. ult. ff. de
acquir. rer. dom. vel non æquè proprie teneantur, l. 3. de acquir.
vel

vel amitt. possess. siquidem eadem tamen quadantenus ratione,
quâ corporales, tenentur, & hinc quasi possideri dicuntur *d. l. 23.*
§. 2. ff. in quib. caus. Majores & c. l. 3. §. penult. ff. de vi & vi arm.
l. 10. ff. si servit. vindic. l. 2. §. 3. ff. de precar. l. 49. §. 1. ff. de acquir.
vel amitt. possess.

POSITIO III.

Cum igitur utile dominium, ut supra jecimus, in Vasallum
devolvitur, vi hujus omnis etiam rei commoditas fructus &
proventus ei cedunt, *Intrigiot. in Cent. feud. 1. quest. 9. nu. 20. &*
seqq. Natta consil. 435. n. 34. & seqq. tom. 2. Roman. consil. 26. n. 1.
utpote cum hoc utile dominium directo quoad fructus & emo-
lumenta præfertur, ut post alios tradunt *Paris. cons. 8. & seq. n.*
15. & per tot. vol. 1. Castrens. consil. 353. lib. 1. Rosenth. de feud. cap. 8.
concl. 2. Consequitur hinc primò Vasallus fructus omnes tam
civiles, quàm naturales, qui vel ex ipso rerum corpore, naturâ
operatrice, vel humanâ sedulitate interveniente: ut frumenta,
legumina *l. 78. ff. de Rei vindict. l. 48. ff. de acquir. rer. dom. vel*
eâ paulatim adjuvante, ut gramina, poma, fœtus & c. l. 68. §. 1. ff. de
usufr. item arbores in sylvis, de quibus speciatim Job. de Dicastill.
de J. & J. lib. 2. tr. 2. D. 9. Dubit. 13. Oettinger de Jure limit. cap.
10. producuntur, 2. F. 8. §. his consequenter, Bocer. de Jure Do-
mini & Vasall. lib. 2. cap. 2. n. 5. Ad quos naturales fructus et si re-
fertur quicquid è salinis aliorumque mineralium pariter & me-
tallorum fodinis egeritur, ob id, quod metalla, vi *l. 7. §. 13. §. inde*
est questum ff. de usufruct. & salinæ prædiorum fructus censentur,
per *l. 1. in pr. ff. quod cujusq. univers. nomine. l. 5. §. 1. ff. de*
reb. eor. qua sub tutel. vel cur. & c. tamen cum hoc temporum
tractu, salinæ hujusmodi ac metallorum aliorumque Minerali-
um fodinæ ad regalia relatæ *2. F. 56. Aur. Carol. IV. Bulla titul. 9.*
Constit. Henr. VI. apud Goldastum Sixtin. de Regalib. lib. 2. cap. 16.
num. 30. minimè, nisi speciatim & expressè de iis fuerit investi-
tus, ad Vasallum spectant, *Heig. lib. 1. quest. 13. num. 39. Sim. Pi-*
stor. consil. 4. Sive ante infeudationem in prædio extiterunt, sive
postmodum in illo fundo feudali reperiuntur, *Paul. Christin. dec.*

CHR.

*cur. belg. v. 5. decis. 67. num. 38. Speidel in notat. histor. polit. ju-
ridic. vers. Bergwerck & Gabriel Vatzquetz de restit. cap. 5. §. 4.
dub. 2. num. 17.*

POSITIO IV.

Spectat post hæc ad vasallum thesaurus in prædio feudali re-
pertus, non attento, quod Vasallus prædii feudalis dominio
destitutus jus tantum utendi fruendi sortiatur, 2. F. 23. thesau-
rus verò ad fructus prædii feudalis non referatur, ob id, quod in
prædio haud nascatur, cum sit vetus pecuniæ depositio, l. 31. §. 1.
ff. de acquir. rer. dom. l. un. C. de thesaur. Quiquid autem non
nascatur, inter fructus fundi non numeretur, per l. 7. §. 13. ff. so-
lut. matrim. Heinr. Zæf. Comment. ff. lib. 7. tit. de usufruct. n. 15.
Unde nec ad maritum in fundo feudali repertus, nec ad alium
usufructuarium transeat, d. l. 7. §. 13. ff. solut. matrim. l. 63. §. ult.
ff. de acquir. rer. dom. Henr. Zæf. d. l. num. 14. Castell. de usufruct.
cap. 37. Utpote cum longè alia ratio est Vasalli, qui vi utilis do-
minii, æque ut alius Dominus sicut cætera emolumenta, ita hanc
quoque fortuitam thesauri accessionem extranei cujusdam
operâ conciliatam dimidiam, sui verò ipsius industria compa-
ratam totam nanciscitur, l. 67. ff. de rei vindic. l. un. C. de the-
saur. 2. F. 53. Rosenthal. de feud. cap. 5. conclus. 94. nullà quidem
parte Domino directo reservatâ, Isern. in cap. unic. que sint re-
galia, Peregrin. de Jure Fisci tit. 2. num. 10. lib. 4. Paul. Christin.
dec. cur. belg. v. 5. decis. 21. num. 19. qui etiam in casu, si ipse
thesaurum in fundo feudali, quo Vasallum investierat, reperit,
dimidiam partem Vasallo impertiri tenetur, ut post Carol. Mo-
lin. in consu. Paris. §. 37. Gl. 10. num. 48. docet Rosenthal de feud.
cap. 5. conclus. 39. num. 3. Hunc verò inventum in fundo feuda-
li thesaurum, si moribus loci inolevit, ut ad summam in Republ.
potestatem pertineat, hæc solum sibi vindicabit, suevit enim
quorundam locorum consuetudine, ut thesauri in propriis et-
iam fundis à Dominis reperti ad solos principes, non privatos
referantur, per tradita Hugon. Grot. de Jure bell. & pac. libr. 2.
cap. 8. §. 7. Arnif. de Jure Majest. cap. 6. n. 23. Christin. d. v. 5. decis.
16. n. ult. decis. 17. n. 9.

Post-

POSITIO V.

Incrementum his proximè tam naturale, quàm industriale vi
 hujus utilis domini Vasallo cedit, si expressè tamen in prima
 feudi constitutione infeudans Dominus & primùm acquirens Va-
 fallus ità convenerūt, *l. 1 ff. de constit. pecun. l. 35. & ibi Dec. ff. de R. J.*
l. 7. §. 7. ff. de pact. Schrad. tr. feud. part. 5. cap. 6. n. 25. Nobil. Dn. Struve
exerc. feud. 12. th. 6. aliàs enim in casu, quo nihil inter Dominum
 & Vasallum convenit, tunc demum, si nihil in ipsa curte Dn. sibi
 reservavit, incrementa tam alluvionis, quàm insulæ, tam laten-
 tia & discreta, quàm solita & insolita absq; ullâ aliâ probatione,
 etsi diversi sunt *Jacob de Belviso & Alvarott. in tit. 4. 1. F. §. si quis de*
manso Nicol. Mozz. de feud. n. 133. & nova investitura, cum utile
 dominium, quod per investituram Vasallo concessum omne
 complectitur incrementum *d. §. si quis de manso vers. tum omne.*
Bocer. de Jur. Domini & Vasalli lib. 2. cap. 3. n. 39. Rosenth. cap. 10.
concl. 44. n. 40. Vasallus consequitur, *1. Feud. 4. §. si quis de manso*
& ibi Afflict. Petr. de Cervo Andr. de Ifern. n. 12. vers. sed si Dominus
Bocer. de Jur. Domini & Vasalli lib. 2. cap. 3. n. 17. non tamen si se-
 parata ut insulæ, (de connexis enim liquet jure feudi absque pe-
 culiari apprehensione ea acquiri, *vi. l. 3. §. 1. ff. de acquir. vel a-*
mitt. poss. ubi Giph. n. 20.) sine speciali apprehensionis actu,
 cum eorum, quæ fundo, cujus possessionem olim apprehendi-
 mus, non coherent, possessionis, non nisi post præmissam peculi-
 arem apprehensionem, compotes evadimus *d. l. 3. §. 1. junct. l. 17.*
in pr. ff. de acquir. vel amitt. posses. Et hæc de naturalibus. Per in-
 dustriam humanam feudo quasi adnascuntur ædes in ejus solo e-
 rectæ, quæ sive eas ipse Vasallus extruxerit, sive alius quispiam,
 jure proprietatis, seu quoad dominū directum, cum omne quod
 solo inædificatur, ad eum pertinet, cujus est solum, *§. cum in suo*
solo 30. Instit. de Rer. divisi l. 49. in pr. ff. de rei vind. l. 2. C. eod. l.
98. §. fin. ff. de solut. Domino feudi cedunt, jure verò feudi & quo-
 ad utile dominium Vasallo competunt. *Bocer. de Jure Do-*
mini & Vasalli lib. 2. cap. 4. Nobiliss. Dn. Struve
d. l. th. 6.

B

Posi-



POSITIO VI.

Indulta insuper ad pleniorum fructum perceptionem non solum locandi feudum, vel actum utendi, fruendi, cum ipso fructus percipiendi jure, alteri concedendi, sed & oppignorandi feudi commoditates vel hypothecandi, etsi id de fructibus perceptis tantum intellectum vult *Vultej. de feud. lib. 1. cap. 10. n. 75.* Vasallo potestas, cum & merum usumfructum jure servitutis habens eum non modo alteri locare, per *l. 12. §. 2. ff. de usufr.* sed & jus percipiendi fructus vendere potest, *l. 8. §. 2. ff. de peric. & comm. rei vend. l. 38. ff. de usufr.* quem tamen Vasallus longè præpotentiori jure instructo maximè antecedit, unde rectè locare posse Vasallum traditur *2. F. 9. §. donere,* vendere quoque & donare eum rectè hoc percipiendi jus, seu feudi commoditatè, quamvis maximè dissentiens est *Vultej. d. l. eadem veritate* docent interpretes, & inter hos *Borcholt. de feud. cap. 8. n. 58.* sicut & oppignorari hoc à Vasallo posse tradit *Laudens. in d. §. donare n. 16. Schrad. part. 8. cap. 1. n. 25.*

POSITIO VII.

Integrum quoque est Vasallo rem ipsam pro lubitu, modò deteriorationi abstineat, ad usus suos proprios aptare, insimul & de feudo transigere. Pollet hinc ædificium prædio feudali imponendi facultate Vasallus *2. F. 28. §. si Vasallus,* id quod usufructuario, nisi ad fructus percipiendos hoc necessarium, haud licet, *l. 13. §. 7. l. 44. ff. de usufr. Bocer. de Jure Dom. & Vasall. cap. 6.* servitutem quoque, quod fructuario æque non concessum, per *l. 2. §. rectè ff. si servit. vind. l. 15. §. fin. ff. de usufr.* prædio feudali acquirendi *2. F. 8. vers. si verò 28. §. si Vasallus.* Ut ut etiam nisi Domini accedit consensus, quo casu ad vitam Vasalli valere hanc servitutis impositionem autumat *Vultej. lib. 1. cap. 10. n. 40.* eam imponere nequit, vi textus *2. F. 8. §. rei autem vers. quid ergò junct. §. contrario vers. meliorem de invest. de re alien. fact.* cum ex tali constitutione fraus & præjudicium Domino in casu apertionis feudi suboritur ob id quod semper talis servitus rem comitatur, docentibus *Martin. de generib. & qualit. feudi tit. 2. part. 1. n. 54. Matth. Coler de process.*

proceß. execut. part. 2. cap. 3. n. 285. Vi cuius, de quâ diximus, facultatis ex utili dominio propollulantis ipsam quoque rem veluti Dominus vindicandi, aliaque jura feudo connexa persequendi, aut actiones contrâ se institutas suscipiendi & exceptionibus elidendi potestate Vasallus haud orbatur, ut liquet ex 2. F. 8. 43. in verb. Utilitas agendi & verb. causa quasi propria Nobiliss. Dn. Struve exerc. feud. 2. th. 3. licet nec Domini assensus accesserit, utpote quo ipsi haud opus esse ad agendum vel excipiendum pariter & transigendum, exprimit textus 2. F. 26. §. Vasallus verb. ignorante Domino & 43. verb. solus: & verb. ab eo ratum haberi. De transactione notandum, quod ea vel diminuendi causa, cum sc. Vasallus itâ transigit, ut feudum vel ejus pars ad adversarium transferatur, vel decidendi causa, cum nempe hunc in modum transigitur, ut ipsâ transactione feudum sibi retineat Vasallus, & lite de feudo, qua pars adversa contrâ ipsum insurrexerat, liberetur, potissimum instituat, l. 60. ff. de procurator. l. 46. §. ult. ff. de administr. & peric. tut. Prior insuper veluti in præjudicium Domini vergens, cum sit quædam alienatio, per l. 1. §. 1. ff. de off. procurat. Cæs. l. 4. C. de præd. & aliis reb. minor. vetita à Dd. dicatur, solâ decidendi transactione admittâ, Bald. in cap. imperialem n. 17. de prohib. feud. alien. Curt. part. 4. n. 96. Borcholt. cap. 8. n. 44. Zæs. tr. feud. cap. 14. n. 21. Quod tamen nos in proniorem Vasalli partem abeuntes, cum inducta à Dd. hæc communis distinctio textus generalitati repugnet in tit. 26. 2. F. §. si Vasallus de beneficio & si ratione domini directi salvam rem servari Domino facile largimur cum Rosenthal. de feud. cap. 9. membr. 1. concl. 27. n. 16. spreto qualescunque etiam superiores & hisce succenturiantes afferant rationes, averfamur, & utrumque transigendi modum Vasallo impertimur, moti ratione textus in d. 2. F. 26. §. si Vasallus de beneficio, utpote qui absque nullâ distinctione Vasallo transigendi potestatem indulget, in verb. nam & transigere rectè poterit & in cap. 1. de controv. inter Vasall. & alium de benef. & ibi Jacob de Belviso, Ifern. Ravennas Joh. Blanck in summâ sua lib. 2. cap. 1. n. 100. Nobiliss. Dn. Struve exerc. 12. thes. 8.

B 2

POSI-

POSITIO IIX.

POtest prætereà Vasallus certâ habitâ ratione rem, quâ investi-
tus alienare, etsi enim, cum alienandi potestas omnibus mo-
dis absolutum exigit dominium, plenè Vasallus utpote hoc ipso
destitutus in extraneum, nisi & Domini consensus accesserit, feu-
dum alienare nequit, 2. F. 34. §. ex eadem lege 2. F. 52. 55. Unde
vendere id ipsum, d. tit. 55. in pr. vers. habito ergo 2. F. Myns. cent.
6. obs. 30. permutare, siquidem permutatio est alienatio, quâ res
ipsa traditur, l. 1. §. item emptio ff. de rer. permut. & hinc in feudo
vetita pertradita Wesenb. de feud. cap. 11. n. 3. Myns. d. obs. 30. do-
nare 2. F. 9. §. donare Vultej. de feud. lib. 1. cap. 10. n. 45. tum in
emphyteusin non quidem ad breve tempus, hæc enim in feudo
permissa, sed perpetuam, quæ alienationis species, Nov. 7. cap. 1.
vers. alienationis autem cap. nulli licet. §. alienationis extr. de reb.
Eccl. alien. vel non. & quidem talis, quâ possessio ad emphyteutam
transit l. 1. §. fin. ff. si ag. vectig. l. penult. §. fin. ff. qui satisd. co-
gunt. l. 3. C. de fund. patrimon. dare prohibetur d. tit. 11. 2. F. vers.
Callidis ibi & in alios transeat, Vultej. d. cap. 10. n. 40. in dominum
tamen etiam invitum, modò agnatos non habeat 2. F. 9. §. 1. 14.
nec intempestiva sit refutatio, vel eum, qui aliàs in feudo succes-
surus per cessionem, quæ refutatio dicitur, optimo jure plenè ali-
enare potest, itâ tamen, ut si vetus feudum Domino aut agnatis
remotioribus cesserit, ipso ceu refutatore vel ejus filiis deceden-
tibus, si gratuito fuerit refutatum, aliàs enim si pretium interve-
nit etiam vivo & ejus filiis revocari potest 2. F. 3. §. sed etiam 26.
§. 9. proximiores agnati id revocare possint 2. F. 26. 36. §. Titius fra-
lios masculos. 1. F. 8. §. hoc quoque.

POSITIO IX.

Sicut verò plenè, itâ & minus plenè rectè Vasallus absq;
consensu etiam Domini feudum suum vel ejus partem, serva-
to sibi ipso jure feudi, alteri vicissim in feudum concedendo per
textum 2. F. 3. §. sed etiam rei vers. per feudum tamen 9. in pr. 26. §.
beneficium 34. §. similiter, utut Hotomannus in Disp. de feud. cap. 37.
pag. 170. & ad tit. 55. 2. F. §. callidis, id obrogatum clamitat contra
aper-

apertum textum 2. F. 3. per Friderici Imp. constitutionē in d. tit. 55. §. *Callidis* quā tamen non specialiter jus illud subinfeudationis abrogatum, sed callida tantummodò subinfeudatio, quam consuetudines feudorum vetuerunt, positis hinc duabus conditionibus, quarum prior sincerè & absque fraude feudum concedi jubet, d. tit. 9. in pr. vers. *si verò* & tit. 26. §. *beneficium* 2. F. altera ejusdem conditionis personæ, veluti si Vasallus sit miles, militi d. tit. 26. §. *beneficium*, ibi *dum tamen militidetur* & dict. tit. 34. §. *similiter Mynsing. cent. 1. obs. 62.* Non dicendum igitur veritatem hanc esse subinfeudationem, sed cum ea Vasalli de feudo dispositio in Domini commodum vergit, Jure feudorum maxime approbatam, cum Vasallum melius servitiā præstare cernit, subvasallorum fideli ope adjutum *Andr. Cobl. tr. de subinfeud. cap. 1. n. 3. Hartmann. Pistor. 4. quest. 14. n. 4. Georg. Frantzk. tr. de laudem. cap. 14. n. 32. & seqq.*

POSITIO X.

Sortitur ad ultimum Vasallus per feudi constitutionem jus non personale, sed reale ad suos heredes masculos transmissibile, nisi tamen ex qualitate rei in feudum concessæ, ut patet in feudo Soldatæ cap. 1. §. *fin. quis dicat Dux* & usufructu in feudum concesso, contrarium appareat, vel guardatori, advocato, & Constaldo feudum concedatur, utpote quod anno finitur cap. 1. de feud. guard. *Zaf. ad l. 137. §. ab eo ff. de V. O. tūm pacto inter Dominum & Vasallum, arg. l. 1. §. si conveniat ff. de pos. l. 24. ff. de R. J. aut statuto aliud cautum, Schrad. tr. feud. part. 5. cap. 6.* Addendum quoque, ad jus Vasalli spectare, quod Dominus mutuā quodammodo fidelitate quæ respicit Vasalli incolumitatem honestatem, securitatem, utilitatem, facilitatem & possibilitatem, ut per fidelitatis verbum innuitur tit. 5. 6. 7. 2. f. quapropter optimè etiam pronunciavit Lotharius Imperator in tit. 56. §. *ult. de prob. feudi alienat. 2. f.* quod inter Dominum & Vasallum nulla fraus, nullum malum ingenium intervenire debeat, Vasallo si obstructus 2. F. 6. *latius Bocer. de Jure Dom. & Vasall. lib. 2. cap. 5. adeò ut*

circum hæc, quæ enarravimus sex capita, perfidum se præbuerit,

B. 3,

felo-

ioniam committere dicatur, & feudi jure privetur; proprietate
ad vasallum, ejusque hæredes transeunte 2. f. 26. §. domino & 47.
l. 5. §. 1. ff. de jur. patronat. l. 33. ff. de bon. libert.

ΕΠΙΣΑΓΜΑΤΑ.

I.

PActa in continenti adjecta non aliam actionem,
quam quæ ex contractu suboritur, cui adjiciuntur,
producunt. Hinc usuræ singularum pensionum, quæ in
specie legis *Lectæ 40. ff. de reb. cred.* solæ debentur, actio-
ne ex stipulatu proveniente, non ulla alia exigendæ: cum
pactum in continenti mutuo adjectum ad producendam
earum obligationem haud sufficit *l. 3. C. de usur. l. 6. C. si
cert. petat.*

II.

Suspectus Judex sive ordinarius, sive delegatus, vel
cui simplex etiam causæ cognitio concessa recusari pot-
est, eadem in omnibus militante ratione *l. 16. C. de Ju-
dic. l. ult. C. de sentent. & interlocut. Novell. 13. cap. 2. No-
vell. 83. cap. 8. Novell. 86. cap. 2.*

III.

Maris æquæ ac telluris, quamvis obejus magnitu-
dinem & inexhaustum abundantiam diversus est *Hugo
Grotius in tract. de mari libero cap. 5. 7. & seq. de jure bell.
& pac. lib. 3. cap. 2. §. 2.* dominio privato nec jus naturæ
sive Gentium, nec Romanum, nec recepti mores repu-
gnant *Selden. de domin. maris per tot. libr. 1.*

IV.


Ecclesiastici, etsi iis audientia tantum de jure civili
con-

concessa l. 25. in pr. C. de episc. & cler. in causis civilibus
de jure canonico soli judicant, nec huic privilegio re-
nunciare queunt cap. 12. & cap. 18. x. de for. compet. in
criminalibus verò clericus ab Episcopo degradatus Cu-
ria seculari puniendus traditur cap. 97. x. de V. S.

His ita arctissime pro temporis & instituti
ratione libatis

Laudes sint Domino DEO nostro JESU
CHRISTO

L. I. C. de offic. præf. Præt.
Africa.


Non ergò penitus terrigenam domos
reliquisse Themin, cœlitibus datam:
Non Martis strepitus seclaq; ferrea
indixisse sacris juge silentium
prorsus legibus (heu quod nimium frequens!)
nunc Friedliebe tuus masculus edocet
nisus, quo toties non fugis arduum
campum, quiq; habeant jura fidelium
exponis gravium scrutinio virum.
Hinc ut pacificus legifera Dea
Gnatus mox gemino nomine fulgeas
tantis hiscè tuis ausibus apprecor.

ἰουάννης

Johannes Andr. Dugewl

Hal. Sax.

Pom.

1.
Pommern schaw' ietzt deinen Sohn
Wieder an den Tempel steigen/
Da der Preis der Tugend Lohn
Denen Helden wird zueigen/
Derer ungesparter Fleiß
Nie von müßiggehen weiß.

2.
Raum hat Töben frembdes Licht
Drey mal ab- und zugenommen/
Da er seinen Sinn gericht
Auff den hohen Stuel zu kommen/
Wo der Rechtsgeflißnen Chor
Ihre Sagen bringet vor.

3.
Damals hielt' Er sich so wohl
Daß sein hurtig Antwort geben
Durch den Helicon erscholl;
Das war Themis ja dein Leben
Und dir Töbus war es lieb/
Daß er so die Feinde trieb.

4.
Jezund fährt Er weiter fort
Wil noch einmahl siegend streiten/
Daß Er den gewünschten Port
Desto ehe mag beschreiten;
Hört! wie Ihm die Rede fügt
Und das Glück ihn macht begnügt.

5.
Pommern wünsche deinem Sohn
Glück zu ieszigen Beginnen
Weil er diese Sieges-Cron

Solches setze seinem geehrten Herrn Landsmann
und werthen Freunde zu Ehren

Dir zu Ehren wil gewinnen:
Und du Berg-bezirckte Stadt
Werde nie von Rühmen matt.

6.
Zwar ich selbstken bin bemüht
Ihm/Herr Friedlieb/zu erheben/
Aber/wie ein ieder sieht
Wil die schwere Feder beben;
Doch so thue ich was ich kan/
Er wirds willig nehmen an.

7.
Laß das kluge Niederland/
Das er ietzt gedenckt zu schawen/
Ihm durch hochgelehrte Hand
Die verdiente Seulen bawen;
Wo nur nicht des Krieges List
Ihm darin zu wider ist.

8.
Ich geb' unterdessen Wort
Aus wohlmeinendem Gemütthe/
Daß Er an den frembden Ort
In des Glückes gröster Blütthe
Seine Zeit mag bringen hin
Nicht ohn Nutzen und Gewin.

9.
Doch so eil Er bald heraus
Und erfülle das Begehren/
Dessen nun des Vaters Haus
Länger nicht vermag entbehren
Grenffswald reicht Ihm schon den
Hut/

Daß man keinem schlechten thut.

Alexander von Krackwitz.

F I N I S.

A 54567

ULB Halle 3
003 637 700



f

sb.

12

VD 17



[Faint, mostly illegible text in a medieval Gothic script, likely Latin, covering the majority of the page. The text is arranged in two columns.]

Eximiat deus et diligens meminerit

et fugiat in gremio matris

et in gremio matris





D. D.
JUS VASALLI
IN
FEUDO,

SUB
MODERAMINE
VIRI
MAGNIFICI, NOBILISSIMI, AMPLISSIMI
CONSULTISSIMI, ET EXCELLEN-
TISSIMI

DN. ERASMI Zingepaur /
JCTI ET ANTECESSORIS PRÆCLARE
CELEBRIS, CONSILIARII SAXONICI EMI-
NENTISSIMI, FACULTATIS JURIDICÆ ORDI-
NARIJ MERITISSIMI, CURIÆ PROVINCIALIS AC SCA-
BINATUS ADSESSORIS PRIMARIJ, DN. PATRONI, PROMOTO-
RIS AC HOSPITIS OMNICULTUS MAGMENTO JUGITER

AFFICIUNDI,
IN AUDITORIO JCTORUM
DIE JULII
AD
VIVUM
EXPRESSUM

CONRADO FRIEDELIEB GRYPH.

JENÆ
Prælô NISIANÔ.
M DC LIII.

